

1529 nere bellum ; inde post afflictas diu , ac turbatas Italiae res pacem effulgere : hæc omnia penes Cæsarem esse , qui validis succinctus copiis , Pontifice amico , ac socio , reliquis Italiae Principibus timore perterritis , nihil illius adverso nutu audentibus ; Gallis pulsis , atque Italicis cunctis rebus ex Cameraci foedere nuper firmato cedere coactis , belli , ac pacis habenas obtinere videretur ; in Venetos tantum onere incumbente .

Attamen Cæsar cum primum Genuam appulisset , pacem se , ac tranquillitatem Italiae redditurum apertis verbis non modo dixerat , sed vulgandum quoque apud omnes curaverat ; quamvis ea , quæ ad bellum necessaria erant , summo studio compararet . Neque Veneti ulla re sibi deerant , ut hostem fortiter terra , marique , munitis urbibus , terrestribus auctis copiis , classe quinquaginta duarum triremium constanter hostium impetus exciperent . Verum plurima ea tempestate contingere , quæ Imperatoris animum , licet Italiae dominandi cupidum , evocare , atque avertere potuere . Nam Suleimanus Turcarum imperator Byzantio cum ingenti exercitu movens , Pannoniam invaserat , ut Joannem Hungariæ Regem nuper a Ferdinando pulsum in regnum restitueret ; Budamque Regum sedem adortus paucis diebus occupaverat ; equitatu , ac peditatu uberri-  
mos Pannoniæ agros diripuerat , atque vastaverat ; omnemque inferiorem Pannoniam , expugnatis arcibus , ac plerisque munitioribus oppidis , in suam potestatem redegerat ; finitimaque Austriæ loca ferro , igne , cæde incredibili mortalium terrore foedaverat ; ac Viennam illius provinciæ caput aggressurum minitatus , magnam commeatum , bellicarumque machinarum copiam colligi jusserat , ut Danubio amne urbem versus veherentur : quæ magno militum præsidio firmata , nisi Turcæ obstitisset , ad tantos remorandos conatus nullum impedimentum inventurus , aditumque in penitiora Germaniæ loca sibi facturus videbatur . Harum rerum tristes nuntii haud parum Cæsaris mentem commovebant : his accedebant frequentes Ferdinandi fratris literæ , qui rerum suarum statum , potentissimas acerrimi hostis vires , quibus par vel sustinendo non esset , fratri significabat ; petebatque , ut nisi funditus Pannonias excindi vellet ; nisi triumphantem hostem Viennæ cernere , ingentia subsidia quamprimum mitteret . Ad hæc quotidie hæreses

*Suleimanus  
Pannonias  
aggreditur .*

*Buda a Suleimano capta .*